

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 4: De aliis virtutibus Caput 9: De correctione fraterna (16)

Idem (Gregorius) super Ezechielem:

Si autem qualiter dicatur, et quid dicatur, et quibus dicatur,  
non vigilanter aspicitur, valde periculosum est.  
Verecunde etenim mentes, si quas fortasse culpas commiserint,  
leviter arguende sunt, quia et si asperius increpentur,  
franguntur potius quam erudiantur.  
At contra mentes asperas quia imprudentes,  
si increpatae leviter fuerint,  
ad maiores culpas ipsa lenitate provocantur.

Nisi enim verecunde mentes fuerint palpando reprehense,  
ita ut ex aliis rebus audiant, quod in consolatione sumant,  
per increpationem protinus ad desperationem cadunt.

Si autem qualiter quid dicatur, et quibus dicatur,  
non uigilanter conspicitur, ualde periculosum est.  
Verecundae etenim mentes, si quas fortasse culpas amiserint,  
leniter arguendae sunt, quia si asperius increpentur,  
franguntur potius quam erudiantur.  
At contra mentes asperae atque impudentes,  
si increpatae leniter fuerint,  
ad maiores culpas ipsa lenitate prouocantur.

Gregorius Magnus, *Homeliae in Hiezechielem prophetam*, 1.11.17  
(CCSL 142, M. Adriaen ed., p.176, ll.281-287).

Nisi enim uerecundae mentes fuerint palpando reprehensae,  
ita ut ex aliis rebus audiant quod in consolationem sumant,  
per increpationem protinus ad desperationem cadunt.

Gregorius Magnus, *Homeliae in Hiezechielem prophetam*, 1.11.18  
(CCSL 142, M. Adriaen ed., p.177, ll.320-323).